

# EPISTULA LEONINA

## LXXXI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**OCTOGESIMAM PRIMAM (81) !**

## ARGUMENTA

1. **Mythi Graeci: De Pelope** 4-6
2. **Fabellae Grimmianae: De Nidario** (*Fundevogel*) 7-10
3. **Fabula criminalis: Felicitas** 12-24
4. **Vocabula vestiaria (III)** 25-32

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam primam.*

*Aestate finitâ in multis regionibus, velut in Bavariâ et Badeniâ-Virtembergâ, longae feriae scholares nunc ad finem vergunt. Utinam et corpore et animâ quam optimê recreatus sis et ad labores autumnales hiemalesque exanclandos paratissimus.*

*Hac in Epistulâ Leoninâ invenies tres fabulas in Latinum conversas indicibusque vocabulorum instructas. Has versiones Latinas Tibi fore et usui et fructui bene sperat auctor et editor.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Iovis, 11. m. Sept. a. 2014



## ODERINT DUM METUANT

### **CALIGULA**


**(12-41 p.Chr.n.)**

SUETONIUS Gaius 30,1 Non temere in quemquam nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque iam praecepto: "Ita feri ut se mori sentiat." Punito per errorem nominis alio quam quem destinaverat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde iactabat: *Oderint, dum metuant.*

## MYTHI CLASSICAE ANTIQUITATIS PULCHERRIMI

a *Gustavo Schwab* theodisce scripti, a *Nicolao Groß* Latine redditi

### XXXV. De Pelope



Tantalus quam graviter in deos peccaverat, tam piê illos colebat Pelops Tantalii filius. Qui patre in Tartarum coniecto et bello contra regem Troianum propinquum gesto e regno suo phrygio fugatus in Graeciam emigravit. Hic iuvenis, cum mentum eius esset lanugine demum obscurâ, iam in amorem cecidit puellae, quam vellet in matrimonium ducere. Ea fuit Oenomai régis Elidis filia pulchra, nomine Hippodamia. Eadem erat praemium certaminis difficilis superato. Nam ab oraculo patri puellae praedictum erat eum, si filia nupserit, moriturum esse. Itaque rex territus sumis viribus studebat ab illâ removere procos, id est nuptiarum petitores. Imperavit, ut ubique terrarum enuntiaretur eum virum accepturum esse in matrimonium ducendam, qui se ipsum superavisset curriculo equorum. At eum, qui a se, rège, superato esset, vitam suam esse amissurum. Pater statuit, ut curriculum fieret Pisâ ex urbe usque ad aram Neptuni in freto Corinthio sitam; de tempore autem proficiscendi Oenomaus praescripuit, ut ipse primo lentê lovi immolaret arietem, dum procos quadrigis praeveheretur, utque ipse finitis demum sacris curriculum incoharet et hastâ manui impositâ in curru stans, quem Myrtilus auriga gubernaret, procos persequeretur. Si sibi contigisset, ut currum praevectum assequeretur, sibi ius fore procos hastâ transfigendi. His auditis multi illi proci, qui Hippodamiam pulchritudinis causâ petebant ducendam, animis erant bonis. Nam regem Oenomaum putabant esse senem debilem, qui, cum sciret se non posse aemulari

iuvenes, de industriâ sibi iunioribus concedere spatium tam longum praecipendum, ut postea, si – quod factum iri verisimile esse – superatus esset, honestius rationem redderet liberalitate suâ. Itaque unus iuvenis post alterum Elidem veniebat, regem adibat, filiam eius petebat ducendam. Oenomaus autem procos semper recipiebat hospitaliter, iisdem dabat pulchras quadrigas vehendas, ipse abibat arietem Iovi immolatum, sine ullâ festinatione. Deinde demum levem currum ascendit, cui Phylla atque Harpinna equae eius erant adiunctae, quae ipso Boreâ erant celeriores. Quibus equis auriga semper diu ante curriculum extremum assequebatur procos; qui improvise régis crudelis hastâ transfodiebantur. Hôc modo Oenomaus iam plus duodecim procos occiderat, nam equis suis celeribus semper illos assequebatur.

Nunc Pelops iter ad amatam faciens navem appulerat ad paeninsulam, quam postea homines nomine eius erant vocaturi. Mox audivit, quid in Elide fieret de prociis. Tum nocte ad lîtus maris adiit et invocavit deum sui tutorem, potentem Neptunum, qui fuscinam vibrans ad pedes eius ex maris fluctibus strepentibus ascendit. »O deus potens«, Pelops inquit, »si tibi ipsi grata sunt dona Veneris, hastam Oenomai aeneam averte a me, curru celerrimo mitte me in Elidem, et fac, ut victoriam pariam. Nam iste cum iam tredecim viros amantes in exitium praecipitaverit, adhuc nuptias filiae differre non desinit. Magnum periculum non superatur a viro imbelli. Equidem firmo animo statui, ut hoc periculum subirem. Is, qui sic quoque aliquando moriturus est, quid omnis decoris expers in tenebris exspectet senectutem ignobilem? Itaque volo pugnam audere: Tu autem da mihi, ut optatum meum expleatur!«

Has preces fecit Pelops, nec frustra Neptunum obsecravit. Nam iterum fluctibus maris strepentibus aureus currus fulgentissimus, cui adiuncti erant quattuor equi alati sagittâ celeriores, ex undis ascendit. In hunc currum Pelops insiluit divinosque equos ad libitum regens ventum aemulans in Elidem volavit. Oenomaus eum venientem cum conspiceret, territus est; nam primo conspectu quadrigas Neptuni divinas cognovit. Tamen non recusavit, quin advena particeps fieret certaminis secundum condiciones solitas; confisus enim est vi equarum sui ipsius mirabili, quae vento erant celeriores. Pelops, cum equi sui itinere per paeninsulam facto requievissent, iisdem curriculum intravit. Iam erat metam tactus, cum rex, qui sacra arietis ut solebat perfecerat, subito equis suis velocissimis Pelopi appropinquavit iam hastam vibrans, ut procum audacem transfigeret mortiferê. Tum Neptunus Pelopis tutor decrevit, ut currus regius rotis laxatis collaberetur. Oenomaus humum depulsus animam efflavit.

Eodem momento temporis Pelops quadrigis suis metam assecutus est. Reversus conspexit palatium regis ardere; quod fulminis ictu inflammatum funditus absumptum est, ut eius nihil iam restaret nisi columna. Pelops autem equis suis alatis properavit ad domum ardentem sponsam ex flammis erepturus.

**MYTHUM PELOPIS  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM  
IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**  
<http://www.leolatinus.com/>

## FABELLAE GRIMMIANAE

### 51. De Nidario<sup>1</sup>



Ecce Nidarius (*Fundevoegel*). Pinxit *Ferdinand Fellner* (1799–1859)

<sup>1</sup> orig. **Fundevoegel**, cfr <http://www.grimmstories.com/language.php?grimm=051&l=de&r=it>, ubi versiones huius fabellae variarum linguarum praebentur. angl. bird-foundling, fr. déniché, ital. ucceltrovato, hisp. piñoncito, lusitan. ave-achado. +**nīdārius**, -ii m. Hoc verbum mediaevale spectat ad pullos avium rapacium, qui in nido capti cicurantur: <http://de.academic.ru/dic.nsf/grammatisch/34107/Nestling> *Johann Christoph Adelung, Grammatisch-Kritisches Wörterbuch der hochdeutschen Mundart. Elektronische Volltext- und Faksimile-Edition nach der Ausgabe letzter Hand Leipzig 1793–1801*: „**Nestling**, des -es, plur. die -e, bey den Jägern, ein junger Raubvogel, so lange er noch nicht fliegen kann, sondern sich im Neste aufhält. Auch ein **Raubvogel, welcher im Neste gefangen und zahm gemacht worden**; im mittlern **Lat. Nidarius**, Nidasius, Franz Niais.“ cfr supra nomen ipsius *Fundevoegel* Francogallicum: »**déniché**«, i.e. „de nido (captus)“ !

Aliquando fuit saltuarius, qui venaturus silvam intrans audivit vagitum. Vox autem ei visa est êdi a parvulo. Vagitum persecutus tandem vênit ad arborem altam, in qua summâ sedebat parvulus. Nam mater cum parvulo sub arbore obdormiverat, et avis rapax parvulum in matris gremio cubantem conspicata advolaverat eumque rostro correptum arbori altae imposuerat.

Saltuarius autem arbore ascensâ parvuloque delato cogitavit: »Hunc parvulum mecum domum auferam et unâ cum meâ Lenulâ educabo.« Ergo illo domum allato duo parvuli unâ adoleverunt. Is autem, quia in nido avis erat inventus, appellatus est *Nidarius*. Iidem parvuli tam vehementer inter se diligebant, ut unus alterum nisi videbat, contristaretur.

Saltuario autem fuit quaedam coqua vetula, quae aliquo vespere duabus situlis sumptis coepit aquam apportare nec iit semel foras ad puteum, sed saepius. Lenula hôt animadverso: »Heus Susanna vetula« inquit, »quid tantum aquae apportas?« »Si nemini hoc dicere volueris, tibi dicam.« Tum cum Lenula negaret se hoc ulli homini dicturam esse, coqua: »Cras mâne«, inquit, »si saltuarius venatum profectus erit, hanc aquam fervefaciam, et si in aheno efferbuerit, Nidarium iniciam et coquam.«

Postridie mâne saltuarius surrexit et profectus est venatum, et îdem cum abiisset, parvuli adhuc in lecto iacebant. Tum Lenula Nidario dixit: »Nisi me reliqueris, ego te quoque non relinquam«; Nidarius autem dixit: »Nec nunc nec umquam.« Tum Lenula: »Velim« inquit, »haec tibi dicere: Susanna vetula heri vespere permultas situlas aquae in domum apportavit; tum ex illâ quaesivi, quare id faceret, illa autem dixit, si nemini hoc dicere voluissem, se mihi dicturam esse; cum ego dixissem me hoc certê nulli homini dicturum esse, illa dixit cras mâne, si pater abiisset venatum, se velle ahenum aquae plenum fervefacere teque iniecturam et cocturam esse. At nunc nos celeriter surgamus, nos induamus, unâ abeamus.«

Ergo ambo parvuli surrexerunt, celeriter se induerunt, abierunt. Aqua autem in aheno cum fervefacta esset, coqua cubiculum intravit, ut Nidarium secum auferret iniciendum. At intrans cum lectos aspiceret,

<sup>1</sup> \*fruticulus, -i m. deminutivum verbi, q.e. frutex, -icis m. cfr John Ray, *Historia plantarum* (a.1693), lib.XXVI, p.1489.

<sup>2</sup> fungus, -i m. est etiam verbum increpatorium: cfr PLAUT.*Bacchides* 1086-89: NICOBVLVS Quicumque ubi ubi sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac/ stulti, stolidi, fatui, **fungi**, bardi, blenni, buccones./ solus ego omnis longe antideo/ stultitia et moribus indoctis.



ambo infantuli afuerunt; tum pavescens secum locuta est: »Quidnam dicam, si saltuarius domum venerit et viderit parvulos abesse? Oportet aliquis nostrum sine morâ eos sequatur, ut recipiat.«

Tum coqua tres servos misit, qui currerent, ut parvulos reciperent. Parvuli autem ante silvam sedentes cum ex longinquo tres servos illos viderent accurrentes, Lenula Nidario dixit: »Nisi me reliqueris, ego te quoque non relinquam«; Nidarius autem dixit: »Nec nunc nec umquam.« Tum Lenula: »Tu fi frutex rosae, ego fiam rosula frutici insita.« Tribus autem servis ad silvam advenientibus nihil ibi fuit nisi frutex rosae et rosula ei insita, sed parvuli fuerunt nusquam. Deinde servi dixerunt: »Hîc nihil restat faciendum,« et domum abierunt et coquae dixerunt se nihil in mundo vidisse nisi fruticulum<sup>1</sup> rosae et rosulam ei insitam. Tum coqua vetula indignata: »Vos fungi<sup>2</sup>,« inquit »oportuit vos fruticulum rosae dissecare et rosulam decerpere et vobiscum domum auferre, facite haec quam citissimê.« Itaque iterum illis abeundum et quaerendum fuit. Parvuli autem cum ex longinquo illos viderent accurrentes, Lenula Nidario dixit: »Nisi me reliqueris, ego te quoque non relinquam«; Nidarius autem dixit: »Nec nunc nec umquam.« Tum Lenula dixit: »Fi nunc ecclesia et ego fiam corona ei insita.« Tribus autem servis illuc venientibus ibi nihil adfuit nisi ecclesia et corona ei insita. Itaque iidem inter se collocuti sunt: »Quid hîc faciamus? Domum redeamus.« Cum domum revenissent, coqua ex iis quaesivit, num quid invenissent, illi autem dixerunt se nihil invenisse nisi ecclesiam, cui inesset corona. »Eheu vos stupidissimos«, coqua inquit indignata, »cur ecclesiam non diffregistis coronamque domum vobiscum attulistis?«

Nunc coqua vetula ipsa profecta et cum tribus servis parvulos persecuta est. At parvuli tres servos e longinquo venientes necnon coquam titubanter illos sequentem cum conspexissent, Lenula dixit: »O Nidari, nisi me reliqueris, ego te quoque non relinquam«; Nidarius autem dixit: »Nec nunc nec umquam.« Tum Lenula: »Tu fi piscina, ego fiam anas ei innatans.«

Coqua autem adveniens cum piscinam videret, semet ipsam superposuit, ut potando illam vacuefaceret. At deinde quaedam anas celeriter adnatavit, rostro caput corripuit, vetulam in aquam traxit; tum malefica vetula aquis submersa est. Denique parvuli unâ domum ierunt ex animis gaudentes: nisi mortui sunt, adhuc vivunt.



**FABELLAM GRIMMIANAM**  
**C.T. »Fundevoget«**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

# DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli  
quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur

**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)

## FELICITAS

Fabula criminalis, quam scripsit *Ferdinand von Schirach*,  
Latinè reddidit *Nikolaus Groß*



### **Ferdinand von Schirach (a.2009)**

Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium  
cfr Epistula Leonina 53, p.7-17; 54, p.4-10; 55, p.4-15; 78, p.18-27.

Vir, qui puellam adierat, ex viginti quinque annis in re publicâ versabatur. Îdem vestimenta exuens narravit, quomodo serviens cursum honorem fecisset. Se toechocollemata agglutinasse, se in cauponularum conclavibus posticis orationes habuisse, se exauxisse districtum suffragatorium, se deputatum in tertio indicis loco superasse periodum suffragia ferendi tertiam. Vir dixit sibi esse multos amicos necnon se praepositum esse commissioni inquisitoriae. Scilicet non maioris quidem momenti esse hanc commissionem, sed se esse ei praepositum. Vir ante puellam stabat interioribus tantum vestimentis indutus. Irina ignoravit, quid esset commissio inquisitoria.

Viro crasso conclave visum est nimis angustum. Qui sudabat. Sibi hodie rem faciendam esse tempore matutino, nam horâ decimâ sibi fore sessionem participandam. Puella dixerat hoc sibi non esse difficile. Lëctus aspectu erat puro, puella erat bella. Quae non maior natu erat viginti annis, mammis formosis, longitudine minimum unius metri septuaginta quinque centimetrorum. Sicut pleraeque puellae ex Europâ orientali oriundae nimis fucata erat. Sed viro crasso hoc placuit. Qui 70 euronibus e portafolio exemptis in lëcto consedit. Vir vestimenta sua diligenter sellae imposuerat, valdê curavit, plica bracarum ne quid detrimenti caperet. Puella exuit eius subligar. Puella rugam viri adiposam cum sustulisset, îdem nihil vidit nisi puellae capillos et scivit necesse fore, ut illa per longum tempus ore allaboraret, usque dum ipse expatret. Vir autem »Sic quidem illa victum sibi parat« cogitans in lëcto

recubuit. At ultimo omnium vir crassus sensit pectus suum quodam ictu percuti; voluit quidem manûs tollere et puellae dicere, ut desineret, sed nihil iam potuit nisi grunnivit.

Irina cum putaret illum grunnire, ut indicaret rem sibi placere, perrexit per nonnullas minutas, usque dum animadvertit virum remanere mutum. Sursum conspexit. Vir caput semoverat, saliva in pulvinum destillaverat, oculi eius ad lacunar erant detorsi. Puella virum acclamavit, et cum is maneret immotus, ex coquinâ attulit hyalum aquae, quem in eius faciem infudit. At vir nullo modo motus est. Qui impiliis tantum indutus erat. Qui erat mortuus.

....

Irina ex sesquialtero anno Berolini vixit. Quae maluisset manere in patriâ suâ, in qua frequentasset nepiagogium scholamque et in qua amici familiaque sua habitassent et cuius sermo sibi esset familiarissimus. Irina ibi fuerat vestifica, ei fuerat bellum habitaculum, ubi omnia fuerant: supellectiles, libri, disci compacti, plantae, volumina photographematum collectanea necnon catta quaedam nigro-alba, quae puellae se associaverat. Irina exspectaverat vitam sibi fore iucundam atque multiplicem et gavisâ erat de tali vitâ degendâ. Irina praedisposuerat vestimenta muliebria, nonnulla iam consuerat, duo iam vendiderat. Eius adumbrationes fuerant leves et pellucidae. Puella somniaverat se iuxta viam principalem condituram esse tabernulam.

At in patriâ puellae factum erat bellum.

Aliquo die septimanae finali Irina unâ cum fratre in rus vecta erat. Ei, cum praedium parentium suscepisset, militiae vacatio concessa erat. Soror ei persuaserat, ut secum iret ad parvum lacum, qui situs erat prope praedium. Sole postmeridiano splendente sederant in ponticulo iuxta naviculas sito, Irina fratri fasciculum novis adumbrationibus plenum monstrans de consiliis suis narraverat. Frater gaudens umeros sororis amplexus erat.

Cum revenissent, in praedio milites constiterant. Qui fratrem sclopetis necaverant, Irinam constupraverant. Hoc ordine. Quattuor milites haec fecerant. Unus puellae incumbens in eius faciem spuerat. Qui Irinam appellaverat scortum eiusque oculos pulsaverat. Deinde ea non iam se defenderat. Militibus abeuntibus Irina remanserat in mensâ culinari prostrata. Quae se manteli involverat oculosque clauserat. Speraverat eos nunc clausos fore in aeternum.

Postridie mâne Irina redierat ad lacum. Cogitaverat facile fieri, ut aliquis aquis se submergeret ipse, sed haec res ei non contigerat. Cum ad aquae superficiem reveniret, ôs raptim aperuerat; quo factum erat, ut pulmones oxygenio complerentur. Puella in aquâ steterat nuda, nihil viderat nisi arbores riparias, signum monitorium, caelum. Deinde ea coeperat clamare. Clamaverat, dum lassaretur, clamaverat contra mortem et solitudinem et dolorem. Ea sciverat se vitâ superaturam esse, sed sciverat quoque istanc terram non iam esse patriam suam.

Septimanâ post fratrem sepeliverant. Sepulchrum eius fuerat simplex, cruce lignâ instructum. Parochus aliquid dixit de culpâ deque ratione ignoscendi, cum burgimagister oculis torpidis pavementum aspectaret et manûs in pugnos comprimeret. Irina clavem praedii proximis vicinis dederat, iisdem donaverat pecora pauca reliqua et omnia, quae fuerant in domo. Deinde vidulo parvo peraque manuali sumptis laophoro vecta erat in urbem principalem. Se non converterat. Librum adumbrationum reliquerat.

In viis et in cauponis quaesiverant, ubi essent hominum subintroductores, a quibus in Germaniam ducerentur. Intercessor callidus fuerat, puellae totam pecuniam abstulerat, quam habuerat. Qui sciverat Irinam securitatem quaerere et pro ea pecuniam soluturam esse – multi homines tales fuerant qualis fuerat Irina, ex iisdem lucrum capi potuerat bonum.

Irina et alii laophoro parvo in occidentem vecti erant. Post duos dies, cum laophorum constitisset in aliquâ collucatione, escenderant, per tenebras cucurrerant. Vir, qui eos trans rivos et per paludem duxerat, pauca locutus erat, et cum essent defatigati, dixerat se nunc esse in Germaniâ. Alio laophoro Berolinum transportati erant. Quod vehiculum aliquo loco, in margine viae statum erat, tempestas fuerat frigida et nebulosa, Irina fuerat fatigata, sed crediderat se nunc esse in tuto.

Mensibus sequentibus puella alias mulieres virosque patriae suae cognoverat. Qui ei explicaverant Berolinum et magistratûs et lêges. Irina eguit pecuniâ. Secundum lêges ei non licuit laborare, ne esse quidem in Germaniâ ei licuit. Prioribus septimanis mulieres Irinam adiuverant. Eadem steterat iuxta Viam Ducis Electoris, didicerat pretia pro coitu orali et vaginali postulanda. Corpus proprium Irinae factum erat alienum, quo utebatur nunc tamquam instrumento fabrili, Irina voluit pervivere, etiamsi nescivit, quem ad finem. Non iam sensit se ipsam.

Ille omni die sedebat in crepidine viariâ. Ea illum videbat, cum autocineta virorum inscendebat, et illum videbat, cum mâne domum ibat. Ille poculum plasticum ante se posuerat, cui homines interdum pecuniam iniciebant. Ea assuescebat ad aspectum illius, ille semper aderat. Ille coepit ei arridere – post nonnullas septimanas ea coepit renidere.

Hieme ingruente Irina illi attulit opertorium redivivum in tabernâ emptum. Ille gavisus est. »Vocor Carolus«, dixit canemque suum sivit in opertorio considerare. Quem involvit, post aures manu permulsit, cum ipse insideret nonnullis ephemeridibus. Carolus bracas gessit tenues, ipse frixit, sed canem calefecit. Tum Irinae pedes contremuerunt, celeriter abiit. Deinde ea post angulum proximum consedit in scamno, genibus attractis caput imposuit. Irina nunc habuit undeviginti annos. Inde ex illo tempore postmeridiano, quo fuerat in patriâ suâ, primum lacrimavit.

Cum Caroli canis autocineto esset obtritus, Irina stabat in alterâ viae parte. Carolus trans viam cursitans Irinae visus est quadamtenus retardatus, ante autocinetum in genua procubuit. Canem sustulit. Autoraedarius post Carolum clamavit, sed is cane bracchiis imposito per mediam viam iit. Se non convertit. Irina eum currens secuta est, intellexit, quare ille doleret, et subito scivit, se cum illo sortem communicare. Unâ canem in viridario urbano sepeliverunt, Irinâ Caroli manum tenente.

Sic omnia erant incohata. Aliquando statuerunt, ut conarentur unâ vivere. Irina ex hospitio suo sordido emigravit, invenerunt habitaculum unius conclavis, emerunt machinam lavatoriam et televisorium et paulatim et gradatim omnia cetera. Hoc fuit Caroli habitaculum primum. Qui sedecim annos natus e domo parentium se apocularat, ex illo tempore vixerat habitaculi expers. Irina eius capillos resecurit, bracas ei êmit, camisias t-formes, thoraces laneos, duo paria calceorum. Carolus operulas accepit suscipiendas, chartas commendaticias distribuebat et vespere in aliquâ cauponâ cauponem adiuvabat.

Nunc viri petebant Irinae habitaculum, puellae non iam necesse erat iuxta viam prostare. Irina et Carolus cum mâne sôli unâ erant, Irina lintea lectuaria ex armario eximebat et ambo decumbebant et inter se detinebant. Unus alteri incumbebat, erant nudi, quieti, immoti, unus alterius spiritum audiebat mundumque excludebat. De rebus praeteritis numquam locuti sunt.

.....

Nunc Irina timuit crassum virum mortuum, et timuit, ne coniceretur in custodiam expulsoriam. Se ituram esse ad amicam ibidemque Carolum expectaturam. Perulâ sumptâ properê per scalas decurrit. Oblîta est telephorum mobile in coquinâ relictum.

Carolus autem, ut omni mâne, birotâ curru remulcato instructâ vectus erat in aream commercialem, sed hodie vir, qui operulas distribuebat, nullam habuit Carolo dandam. Carolus spatio semihorae domum revertit. Anabathro sursum vectus est. Ei visum est audire sonum Irinae calceis per scalas descendentes. Cum Carolus ianuam habitaculi recluderet, illa e domo exiit et ad stationem laophori profecta est.

Carolus autem in unâ ex duabus sellis ligneis sedens spectabat oculis torpidis in crassum virum mortuum eiusque subuculam candidam. In pavimento iacebant paniculi, quos secum attulerat. Cum aestas esset, conclave erat calidum.

Carolus conatus est animum colligere. Irinam in custodiam coniectum iri, et deinde ei redeundum fore in patriam suam. Fortasse eam mulcatam esse a viro crasso, illam nihil facere sine causâ. Carolus cogitavit de die illo, quo tramine ferriviae unâ rus vecti erant, aestu aestatis fervidissimo in prato iacuerant, et Irina aspectu fuerat puellulae. Se illo die fuisse felicem. Nunc credidit sibi esse gratiam referendam. Necnon Carolus cogitavit de cane suo. Interdum ibat ad locum illum in viridario situm, ut videret, num quid mutatum esset.

Semihorâ post Carolus intellexit consilium a se excogitatum non fuisse bonum. Îdem excepto subligari nudus fuit. In pyelo sudor eius cum sanguine permiscebatur. Super viri caput induxerat cucullum plasticum, ne eum aspectaret. Primo rem falso fecerat conans ôs dissecare. Deinde in mentem ei vênit, quomodo gallinula dissecaretur, et brachium ex umero viri crassi torsit. Res nunc facilius facta est, nihil dissecandum erat praeter musculos fibrasque. Aliquando brachium positum erat in flavis lamnis pavimenti fictilibus, artus manualis adhuc erat instructa horologio. Carolus se convertit ad pelvim familiaricam, iterum vomuit. Aquam sivit defluere in malluvium, faciem immersit, ôs eluit. Aqua erat tam frigida, ut dentes dolerent. Carolus oculis torpidis speculum inspiciens nescivit, utrum staret ante an post speculum. Necesse esse virum ante se positum moveri, ut Carolus ipse se movere posset. Aqua super marginem malluvii abundans decidit in pedes Caroli, ut resipisceret. In pavimento genibus flexis serram sumpsit.

Tribus horis post Carolus omnia membra viri absciderat. In tabernâ victualium êmit cucullos purgamentorum nigros. Arcaria eum aspexit



stupefacta. Carolus conatus est non deliberare, quid faceret de capite mortui – frustra hoc conatus est. Cogitavit: »Si caput collo adhaeserit, fieri non poterit, ut virum collocarem in curru remulcato...Omnino non possum rem perficere.« Tabernâ relictâ vidit duas mulieres domesticas, tramen urbanum praetervehens, puerum mâlum trans viam pede propellens. Carolus irâ incensus, cum praeteribat chiramaxium infantile, magnâ voce dixit: »Equidem non sum homicida!«. Mater se ad eum convertit.

Animum raptim collegit. Manubrium serrae alopecurinae compositum erat e duabus partibus dimidiis; cum altera pars absoluta esset, Carolus parum attentus digitum suum insecuit. Vagivit more puerili, sub eius naribus pustulae exortae sunt, serrabat oculis conclusis. Vagiebat et serrabat et vagiebat et serrabat. Carolus caput viri crassi tenuit bracchio suppositum, sed cucullus plasticus cum factus esset lubricus, caput iterum iterumque elabebatur. Capite tandem amputato Carolus miratus est idem quam ponderosum esse. Carolo, cui caput visum est tanti pendere quanti saccus carbonum craticularium, miratus est, quod sibi in mentem inciderant carbones craticulares. Carolus enim numquam carnem in craticulâ assaverat.

Iuvenis cucullo maximo ad anabathrum tracto ianuam automaticam impedivit. Deinde attulit cucullos reliquos. Cuculli purgamentarii non sunt discissi, ad truncum cadaveris involvendum usus erat cucullis duplicibus. Currum remulcatum traxit in andronem domesticum nemine observante. Fuerunt quattuor cuculli purgamentorum nigri. Bracchia a Carolo fuerant saccoperio dorsuali infercienda, nam currus remulcatus erat plenus, ei si bracchia imposuisset, excidissent.

Carolus camisiam induerat recentem. Ad viridarium urbanum assequendum Carolus eguit viginti minutis. Carolus cogitavit de capite, de capillis tenuibus, de bracchiis. Sensit dorsum suum imprimi digitis viri crassi. Qui erant umidi. Rapidê de birotâ descendit, sacciperium dorsuale deripuit. Deinde delapsus est in caespitem. Expectavit homines ad se cursuros et clamaturos esse, sed hoc non est factum. Omnino nihil factum est.

Carolus humi iacebat, in caelum spectabat, expectabat.

Iuvenis totum virum crassum infodit in viridario urbano. Manubrio palae diffracto Carolus genua flexit, laminam palae manibus tenuit. Omnia infersit foveae, quae paucis tantum metris remota erat a cane mortuo. Quae cum parum profunda esset, cucullos purgamentarios calcando compressit. Caroli camisiam recens erat sordida, digiti erant nigri et

sanguine obliti, cutis pruriebat. Palae partes reliquas Carolus iniecit situlae purgamentariae. Deinde per horam ferê sedit in scamno viridarii. Carolus aspectabat studentes, qui ludebant discis Frisbianis.

.....

Irina cum ex habitaculo amicae reverteretur, vidit læctum esse vacuum. lacca bracaeque plicatae viri crassi adhuc pendebant ex sellâ, cui erant superpositae. Puella balneo inspecto ôs suum pepulit, ne clamaret. Irina statim intellexit Carolum conatum esse se ipsam servare. Astyphylaces illum inventuros esse. Putaturos esse virum crassum ab illo interfectum esse. Irina cogitavit Germanos omnis homicidii auctorem invenire, hoc quidem monstrari in televisorio. In iaccâ viri crassi sine pausâ tintinnabat telephorum mobile. Periculum esse in morâ.

Irina in coquinam iit et astyphylaces arcessivit. Iidem autem vix intellexerunt, quid illa diceret. Cum venissent, balneum inspexerunt et Irinam comprehenderunt. Ex eâ quaesiverunt, ubi esset cadaver, sed Irina nescivit respondere. Ea iterum iterumque dicebat virum crassum mortuum esse »normaliter«, illum habuisse »cor mortuum«. Scilicet magistratûs ei non credidisse. Cum Irina manicis ferreis vincta e domo duceretur, Carolus praeteriit. Irina eum aspectans caput concussit. Carolus cum non intellegeret, a birotâ desiluit et ad illam cucurrit. Caespitavit. Astyphylaces eum quoque comprehenderunt. Postea îdem dixit se hoc non flocci fecisse, se sic quoque nescivisse, quid ageret sine Irinâ.

.....

Carolus tacebat. Îdem tacere didicerat neque custodiâ terrebatur. Qui iam saepe in custodiâ fuerat, propter furta effraturasque. In custodiâ nomen meum audiverat meque rogavit, ut susciperem defensionem sui. Sciscitabatur, quidnam fieret de Irinâ, se ipsum nullo modo curabat. Dicebat se nullam pecuniam habere, rogabat ut curarem amicam suam.

Dixi Carolo, si verum declaravisset, se servatum iri, sed difficile erat ei persuadere. Îdem ferê nihil dicebat nisi interrogabat, nonne hoc Irinae noceret. Carolus bracchia mea amplexus tremebat, dicebat se nolle rem falso facere. Eum sedavi pollicitus me inventurum esse patronum, qui Irinam defenderet. Tandem Carolus assensit.

Carolus magistratûs duxit ad foveam illam in viridario urbano sitam et adstetit iisdem crassum virum effodientibus illiusque membra disponentibus. Nec astyphylacibus monstravit locum, ubi canem suum

infoderat. Istud autem errore fecit: illi etiam sceleto canino effosso Carolum aspectaverunt incerti, quid hoc sibi vellet.

Medici forenses invenerunt omnia vulnera post mortem demum illata esse. Cor viri crassi est perquisitum: Dubium non erat, quin îdem mortuus esset infarctu myocardiî. Ergo suspicio homicidii facti est sublata.

Denique omnia crimina sublata sunt praeter corporis mortui comminutionem. Actor publicus cogitavit Carolum accusare, quod quietem hominis mortui temeravisset. Lege dicitur vetitum esse corpus hominis mortuum »indecenter« tractare. Actor publicus dixit valdê indecens esse corpus hominis mortuum serrâ dissecare et infodere.

Actor publicus rectê dixit. At de hac re non actum est. De nullâ re actum est nisi de voluntate hominis inculpati. Carolus nihil voluerat nisi Irinam servare, noluerat corpus mortuum foedare. Quod ego »rem indecentem amore factam« dixi. Proposui similem casum a Foederali Aulâ Iudiciali diiudicatum, quo Carolo ius datum est. Actor publicus superciliis sublatis acta iudicialia conclusit.

Mandatis detentionis sublatis ambo sunt dimissi. Irina patronâ adiuvente asylum petivit, ut sibi liceret Berolini manere. Quae non incidit in custodiam expulsoriam.

.....

Denique Irina iuxta Carolum in lēcto sedit. Altera foricula armarii, cum cardo in habitaculi disquisitione effractus esset, obliquê propendebat. Cetera non erant mutata. Irina Caroli manum tenebat, ambo per fenestram prospiciebant.

»Nunc« Carolus inquit »nobis aliud faciendumst«. Irina annuens cogitavit, quam felices se esse.

## FINIS

*Haec fabula, cuius titulus originalis est „Glück“, invenitur in libro, quem scripsit Ferdinand von Schirach: „VERBRECHEN – Stories“. Ungekürzte Taschenbuchausgabe. München (Piper Verlag) 2012, p.75-87.*



**Ecce Carolus et Irina diem natalem celebrantes.**

Scaena cinematis, c.t. „Glück“,  
quod *Doris Dörrie* a.2012 confecit  
secundum argumentum fabulae  
*Ferdinandi de Schirach*.

Personas praecipuas gerunt  
*Vinzenz Kiefer* et  
*Alba Rohrwacher*.

**FABULAM, C.T. »GLÜCK«  
A FERDINANDO DE SCHIRACH SRIPTAM  
IN LATINUM CONVERTIT  
NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## HUIUS FABULAE VOCABULA RARIORA RECENTIORAQUE

**allabōrō**, -āre cfr HORATIUS, epodae 8,15-20: quid? quod libelli Stoici inter Sericos/ iacere pulvillos amat./ inlitterati num minus nervi rigent/ minusve languet fascinum?/ quod ut superbo provocas ab inguine./ ore *adlaborandum* est tibi. – cfr Gaston Vorberg, Glossarium eroticum, Hanau/ Main 1965, p.24, s.v.:“allaborare ore, sich mit dem Munde bemühen = lambere pudenda, fellare. Horat.Epod.8,20...”

**apoculō**, se apoculāre - *theod. abhauen; angl. to elope, to skoot, to skedaddle, to bunk; fr. déguerpir, calter, détaler, décaniller, se déballonner; hisp. largarse; ital. telare, sloggiare.*  
